


AUGUSTINUS FAVARONI DE ROMA

Collatio super secundum librum Sententiarum

Berlin, Staatsbibliothek lat. 852, ff. 204rb-204vb

(Bologna, 1388-1389)

ed. M. Brinzei



Eructavit cor meum verbum bonum. Ps. 44, <2>.

Sublimato dignitate nobilis essentie.
Illustrato claritate alte refulgentie.
Decorato puritate sancte enitentie.
Venustato equitate digne eminentie.

Faciliter apparebit quod cuius dogma demonstravit:

Eminentem vigorem yma rite regulantem
Excellentem doctorem dogma rate dirigentem
Prevalentem rigorem feda recte repellentem
Colligantem valorem gesta apte ordinantem

Hic eructavit verbum bonum.

Primo, artem summam declaravit per quam cuncta ideavit in superno cardine.
Secundo, sacram normam propalavit per quam cuncta dictitavit in divino fame.
Tertio, legem almam scriptitavit per quam torta condemnavit in terreno agmine.
Quarto, pulchram formam fabricavit per quam recta religavit in superno fulmine.

Sed Magister in isto secundo libro nobis plene:

Magne molis determinate verbum fabricationis.

Grate mentis regulate verbum illustrationis.
Voluptatis obliquae verbum vindicationis.
Rate classis ordinate verbum aligationis.

Huius minoris quadripartite propositionis ratio assignatur, nam Magister in isto secundo libro nobis *verbum* longissime *eructavit*.

De rito factorum ordine et ydeali ipsorum semine,
a prima distinctione usque ad 22am inclusive.
De recto rationum dictamine et sanctorum virtutum germine,
a 22a exclusive usque ad 30 exclusive.
De cepto votorum crimine et perpenali eorum culmine,
a 30 inclusive usque ad 38 exclusive.
De rapto velitorum ligamine et bonarum radicum flamine,
a 38a inclusive usque ad finem libri.

Igitur Magister in isto secundo libro *verbum bonum eructavit*:

Mundum pandit determinari summa lege regulari stabiliti federis.
Mentem promit conformari recta norma ordinari spirati dictaminis.
Prolem dixit confedari digna pena pregravari delicti propaginis.
Rata canit terminari firmo nexu compagari illibati germinis.

Dicebam in prima parte maioris quod cuius dogma demonstravit eminentem vigorem, yma rite regulantem, *eructavit verbum bonum*. Orno artem summam declaravit per quam cuncta ydeavit in superno ordine. *In principio*, inquit evangelista, *erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum* etc. <Ioh. 1,1>, Sequitur: *Omnia per ipsum facta sunt*, Ioh. 1. <3> Quod cum sit *Dei virtus et Dei sapientia*, 1, Cor. 1, <24>. *Attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter*, Sap. 8, <1>. Omnia namque in numero pendere et mensura disposuit, quod Boetius tertio *De consolatione*, metro nono, declarans ait:

Tu, inquit numeris elementa ligas ut frigora flammis
Arida convenient liquidis, ne purior ignis
Evolet aut mersas demergant pondere terras
Tu triplicis mediam nature cuncta moventem
Conectens animam per consona membra resolvis
Que cum secta duos motum glomeravit in orbes
In semet reditura meat mentemque profundam
Circuit et simili convertit ymagini celumⁱ. [204va]

Quod factum est, in ipso vita erat, inquit evangelista Iohannes <Ioh. 1, 3>, est summa ars per quam omnia ydeantur. ‘Ars’, inquam, ‘omnipotentis artificis’, et ‘lex omnium artium’, ut deducit beatus Augustinus in libro *De vera religione*ⁱⁱ. In ipso enim vivunt exemplares rerum omnium rationes, beato Augustino 6 *De Trinitate* testante hoc est, inquit, ‘unum tanquam verbum perfectum, cui non desit aliquid, et ars quedam omnipotentis et sapientis Dei plena omnium rationum viventium incommutabilium, ibi novit omnia Deus que fecit per ipsamⁱⁱⁱ’.

Hinc Boetius ubi supra utrumque perstringens dulciter decantabat:

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum celique sator, qui tempus ab evo

Ire iubes stabilisque manens das cuncta moveri,
Quem non hesterne pepulerunt fingere cause
Materie fluitantis opus verum insita summi
Forma boni livore carens, tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens similique ymagine formans^{iv}.

Et hoc de primo maioris.

Secundum principale¹. Secundo dicebam quod cuius dogma demonstravit excellentem doctorem dogma rate dirigentem *eructavit verbum bonum*, quo sacram normam propalavit per quam acta dicitavit in divino famine. *Erat*, inquit evangelista, *lux vera que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*². <Ioh. 1, 9> Illuminatos namque spiritus eodem verbo illuminari omnium creatione persistunt attestatur beatus Augustinus XI *Dei profecto* inquit ‘cum dixit Deus, *Fiat lux, et facta est lux* <Gen. 1, 3>; si recte in hac luce creatio intelligitur angelorum, facti sunt participes lucis eterne que est ipsa incommutabilis sapientia Dei, per quam facta sunt omnia’ ut ea luce illuminati, qua creati sunt fierent lux incommutabilis lucis et diei, quod est Verbum Dei, per quod et ipsi et omnia facta sunt. *Lumen* quippe *verum*, est *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*^v. Et infra, non inquit, ‘inconvenienter dicatur, sic illuminari animam incorpoream luce incorporea simplicis sapientie Dei, sicut illuminatur aeris corpus luce corporea’^{vi}. Hinc Psalmigraphus Ps. 118 <105>: *lucerna*, inquit, *pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis*. Hii autem pedes quos hoc verbum in rectis semitis suo lumine dirigit sunt non corporis gressus, sed mentis affectus. In Deum enim ‘imus’, ait beatus Augustinus in *Epistula ad Macedonum*, ‘non ambulando, sed amando’^{vii}. Deum namque ‘qui ubique presens est ubique totus, non pedibus licet ire, sed moribus’^{viii}. Ideo velut ordinatissima norma nostrarum affectionum regulata nostrorumque rationum dictaminum directiva ‘in animas sanctas se transfert amicosque Dei, et prophetas constituit’. Supra alio: numquid apte menti illapsus sua dogmata suaque rationum dictamina dicitabat voluntatis affectus mentisque conceptus norma suavissima regulabat. Cum 2 Cor. 13, <3>: doctor ipse gentium alta voce exclamet *an experimentum queritis eius, qui in me loquitur Christus*.

Tertium principale³. Dicebam in tertia parte maioris quod cuius dogma demonstravit ‘prevalentem rigorem feda recte repellentem’, *eructavit verbum bonum* quo legem almam scriptitavit per quam torta condempnavit in terreno agmine dabo tibi gentes dicitur huic verbo *reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos* Ps. 2, <9>. Et de se ipso *visitabo* inquit *in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum* Ps.⁴ <88, 33>.

Ideo post primum lapsum *in Paradyso deambulans*⁵ Adam apparet *post* [204vb] *meridiem vocavit Adam* <Gen. 3, 8-9> et erexit eam cum collocavit ante paradysum voluptatis cherubygni et flamene gloriam atque ubi facilem legem quem posuit *maledicata*, inquit *terra in opere tuo* <Gen. 3, 17> terrenum, scilicet seminale corpus in propagationis opere spinas et tribulis communicabat tibi proles quippe carnalibus concupiens plenas lege propagationis attractis suam specie compungentibus et spontaneis voluptatum incommunicabus spirarum more legem Deum lacrimase communicare. Videmus quando tertio.

Ultimo in maiore dicebamus quod cuius dogma demonstravit colligantem valorem gesta arte ordinantem *eructavit verbum bonum* quo pulchram formam fabricavit per quam rectam

¹ Secundum principale] *in marg.*

² mundum] Illud xxx xx *ms.*

³ Tertium principale] *in marg.*

⁴ Ps.] lacuna

⁵ de] auram *add. et del.*

religavit in supreno falmine lucernam corporis cui inquit verbum est oculus tuus *si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit* Matth. 6, <22>.

Et ‘hunc oculum’, ait beatus Augustinus 4 libro *Contra Iulianum*, ‘agnosce intentionem qua facit quisque quod facit, ac per hoc disce eum, qui facit opera bona, intentione fidei bone, hoc est,^{ix} eius que per dilectionem operatur, totum quasi⁶ corpus, quasi quod illis, velut membris, operibus constat, lucidum esse^x’. Ad ipsam namque cetera affectiones ceterique animi motus ordinantissime⁷ regulantur. Ideo rectissius finis est ipsorum omnium desideriorum a quo et ‘voluntas ipsa recta erit et rectas habebit hoc motus’, ut ait beatus Augustinus 14 *De civitate Dei*^{xi}. Finis autem legis Christi potest ad iustitiam verbum quod erat impuro apud Deum et Deus erat verbum aptus ut idem sit verbum primum rerum omnium et filius Dei iudeorum. Ideo dese ipso testante: *ego summ primus et novissimus, Alpha et Omega, principium et finem* <Apoc. 22, 13> ipso primo. Ex hiis speculari licebit quod *Verbum* quod in isto secundo libro *eructavit* Magister Est :

Verbum regens omnia ad Heb. 1 <3>: *Portans omnia verbo virtutis.*

Verbum dictans aperta Math. 6 <1>: *Ascendit in montem etc.*

Verbum minans ardua. Ex. 20 <5>: *Ego sum Deus zelotes tuus.*

Verbum spirande elita Joh. 14 <21>: *Qui diligit me.*

Diligetur a Patre meo et ego diligam eum zelostem dam me ipsum ei <Joh. 14,21> De Magistro igitur dicere possius: *Non fuit verbum quod non ostend<er>it* eis suis sui dicoribus Isa. 39 <2>: sique de se ipsa dicat *eructavit cor meum verbum bonum*, que fuerut verba vestris reverendis in quibus quidem verbis: ecce quod tangitur:

Alta virtus effluxina ferio exubans, quia *eructavit*.

Orta virtus resuscita modulo recompensans, quia *eructavit cor*.

Arta virtus ligativa omnio ex agramans, quia *eructavit cor meum*.

Scientia virtus allectiva iubilo reficens, quia *eius cor meum verbum bonum*.

Primum probat plenitudo determinata alto ritu divinatorum, quia *eructavit* pars purpturari eorum plena erit

Secundum probat gratitudo inflamata in amplexionem, quia *erit cor meum. Eructabunt labia mea ymnum* <Ps. 118, 171>.

Tertium probat multitudo depravata fedo luxu viciorum, quia *eructavit cor meum Verbum*. Ier. 6, <10> *verbum Dei factum est eis in opprobrium*. Scietudo demonstrata cum effectum primorum quod *cor meum verbum bonum*. Ps. <44,2> *Eructabunt labia mea* <Ps. 118, 171> cum cautavero tibi et anima mea quam redemiste cuius redemptionis participes nos faciat etc. Utinam.

Sequitur questio principii super secundum sententiarum magistri Augustini de Roma ordinis fratrum hermitarum sancti Augustini nunc regentis Bononie 1398. Utinam.

ⁱ Boethius - celum] Boethius, *De consolatione Philosophie*, III, m 9, col. 759-761.

ⁱⁱ Ars - artium] Augustinus, *De vera Religione*, I, c. 31, p. 147.

ⁱⁱⁱ unum - ipsam] Augustinus, *De trinitate*, VI, c. 10 (ed. W.J. Mountain-F. Glorie), p. 241.

^{iv} Boethius - formans] Boethius, *De consolatione Philosophie*, III, m 9, col. 759.

^v Cum dixit - mundum] Augustinus, *De civitate Dei*, XI, 9, p. 329.

⁶ quasi] quod *a.c.*

⁷ ordinantissime] *p.c.*

^{vi} inconvenienter - corporea] Augustinus, *De civitate Dei*, XI, 10, p. 330.

^{vii} Imus - amando] Aug., Ep. 155, 13 (PL), col. 672.

^{viii} 'qui ubique - sed moribus] Pseudo-Arist, (ed. François Dolbeau, *Liber de quattuor virtutibus*, in *Une compilation morale africaine, formée d'extraits de saint Augustin*, p. 161, l. 81-82).

^{ix} Augustinus, *De civitate Dei* XIV, 6 (CCSL 48) p. 421.

^x hunc oculum – lucidum esse] Augustinus, *Contra Iulianum*, V, c. 3, 33 (PL), col. 755.

^{xi} Voluntas - Dei] Augustinus, *De civitate Dei*, XIV, 6, (CCSL 48) p. 421.